

www.e-rara.ch

**Arbor frugifera ex eremo, sive meditationes sacrae in quadragesimam,
de passione Domini, et dominicas anni**

Lang, Michael

[Einsiedeln], 1705

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rw 16

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24978>

Die cinerum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



MEDITATIONES

De

Passione Domini nostri JESU

Christi , secundum quatuor
Evangelia &c.

Die Cinerum.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

Punctum 1. Considera, Jesum, Deum totius consolationis , qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, contristari, non ob aliam causam, nisi, quia, ut inquit Simon de Cassia, lib. 13. *perspectabat altissimâ mente omnium hominum præteritorum, præsentium, & futurorum delicta, & nefanda peccata, pro quibus diluendis oportebat sustinere dolores, & in animo tristari: Et iterum: Tristatur, non propter sua, sed propter aliena peccata: tu verò propter tua dolorem assume; nam quod lætitiâ vanâ amittitur, nunquam melius, quàm tristitiâ verâ deletur.*

Ex quo discere habes, propter quam causam tristari debeas: non quia tibi desunt bona temporalia, vel corporalia: non quia non æstimaris, vel ad dignitates non pro-

A

move-

moveris , sed propter peccata , & offensas Deo factas.

Propositum : O Jesu ! dulcedo cordium , O gaudium universæ terræ ! O lætitia Angelorum ! tu tristaris propter me , & ego exulto in rebus vanissimis ! Tu usque ad sanguinem tristaris propter peccata mea , & ego nec lachrymam possum exprimere pro tot injurijs tibi illatis. O bone Jesu ! O dulcissime Jesu ! mihi dolor , mihi tristitia ! Tibi honor , gaudium , gloria , & exultatio ! Ah ! detestor amore tui omnia peccata , omnes negligentias , omnem teporem , & seriò me emendare propono : Utinam totum corpus meum omnem profunderet sanguinem pro te ! Offero tibi insuper omnes corporis mei poros , sanguinis guttas , ac me totum ex toto corde : & ita tibi de novo servire studebo , ut , si etiam naturaliter fieri posset , præ cordis tristitia , & contritione sanguinem sudarem. O mi Jesu ! da ergo gratiam , ut exactè Regulam servem , fervidè orationem perficiam ; alacriter inspirationibus obediam , easdem impleam , ex toto corde me humiliem ; specialiter verò ita toto die tecum in terra procumbam , ut tot , ac tantis peccatis , & negligentijs confusus faciem meam nunquam ad cœlos extollam , sed semper præ vera tristitia , & cordis contritione , terram humillimè aspiciam. Ah mi Jesu ! lambam , exsugam , & continuis suspirijs

spiritus sanguinem in aridam animæ meæ
terram attraham, ut saltem posthac fructus
dignos poenitentiae proferat! Amen.

Fructus: Frequens renovatio tristitiæ, &
detestatio peccatorum, amore dulcissimi
Jesu tristitiam patientis.

Tessera: Maledicta hora, in qua non ama-
vi te! iniquitatem meam agnosco, & pecca-
tum meum contra me est semper!

Punctum 2. Considera Jesum, confor-
mantem se Divinæ voluntati, & dicentem:
Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat! Super
quæ verba S. Leo *serm. 17. de Passione*, ait: *Hæc*
vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accen-
dit, omnes Martyres coronavit: nam quis mundi
odia, quis tentationum turbines, quis posset persecu-
torum ferre terrores, nisi Christus in omnibus patiens
diceret Patri: Fiat voluntas tua! Discant hanc vo-
cem omnes Ecclesiæ Filij, & in suis petitionibus suis
conformes se habeant Divinæ voluntati: nam impro-
ba est petitio, quæ datoris supergreditur voluntatem;
digna autem exauditione cognoscitur, si ejus submittitur
voluntati, quia nescimus, quid velit impendere dives
in omnibus Divina Majestas.

Propositum: O anima mea! Vides, quo-
modo amabilis Jesus suam sanctissimam vo-
luntatem resignet in voluntatem Patris ad
bibendum acerbissimum calicem Passionis;
& tu nec guttulam quidem de hoc calice
patienter bibis, sed resistens fugis, & turba-
ris! Est nè servus major Domino suo? quo-

modò conregnabis, si non compatieris? non subicies tuam peccaminosam voluntatem voluntati Patris æterni ad ebibendum calicem amarissimæ Passionis? Offero me totum ad agendum, & patiendum, quidquid de me disposuerit sanctissima tua voluntas! Fiat mi Jeshu! in me, & de me sanctissima tua voluntas in tempore, & in æternitate!

Fructus: Ædificare in corde suo habitaculum, & in illo permanendo dicere cum S. Augustino: *Quidquid agam, sit propter te! quæcumque eveniant, accipiam à te!*

Tessera: *Fiat Voluntas tua! Domine, quid me vis facere?*

Punctum 3. Considera Jesum sanguinem sudantem, de quo Simon de Cassia ubi supra: *sudat in laboribus Christus, quos à juventute sustinuit: sudat præ æstu validi belli, sudat morte vicinâ; quia venturâ in crastinum, nec non Christi sudore curatur genus humanum.* Et iterum: *Vehementiam laboris, & æstus invisibilis agonis sudor missus declarat, nam ex labore nimio, & æstu consueverunt corpora desudare.* Quomodò Christus factus est Exemplar Religiosorum, qui in fervore Spiritûs, & æstu continuo sudare, & non desides esse debent in servitio Dei, non algere in choro, aut virtutum exercitio tepescere, sed in fervore Spiritûs & labore continuo sudare?

Meditatio pro die Cinerum.

5

Propositum: Vide, ô Anima mea! Vide Sponsum tuum respersum guttis noctium; vide sudore multo perfusum; vide sanguineis non tantum guttis, sed globis irroratum! O quid hoc prodigij? Labor, & amor has guttas expressere in superanda teneritudine, & resistentia naturæ adversus dolores immensos Passionis. Quàm citò tu deficis in labore, & amore Jesu! quàm parum sudas in ejus servitio? Excita te! exere brachia, vince torporem, & malas inclinationes: Labora, opus fac Religiosi, cujus vita, & Professio est esse laboriosum, & tristem cum Christo usque ad mortem: Sit hæc mea occupatio subigere naturæ tepiditatem in exercitijs obedientiæ, & in mortificandis sensibus.

Fructus: Fervor Spiritûs ad rectè peragenda religiosa exercitia, cum omnibus circumstantijs suis.

Tessera: Nondum usque ad sanguinem!



FERIA QUINTA

post diem Cinerum.

Vigilate, & Orate!

Punctum 1. Considera Jesum orantem in summa tristitia; ad significandum, quòd in omni tristitia, molestia, & afflictione ad

Deum per orationem recurrere debeamus: Sic monet S. Jacobus Apostolus c. 5. *Tristatur aliquis vestrum, oret*: Sic etiam cantabat Regius Psaltes psal. 76. *Renuit consolari anima mea, memor sui Dei, & delectatus sum*. Tu ergo in molestijs, & afflictionibus non statim ad homines refugium habeas; quia homines sine Dei benedictione, & motione adjuvare non possunt; sed ad Deum, qui scrutatur corda, & renes, qui est adjutor in opportunitatibus, & tribulatione.

Propositum: Vis nè, O Anima mea! in tuis adversitatibus inniti super baculum arundineum humanæ consolationis, & non potius dicere cum Propheta: *Mihi adhærere Deo bonum est: & ponere in Domino Deo spem meam*? Imò verò, verum amicum Christi me probabo in adversis, nihil remittendo de amore erga Deum, & proximum, deque exercitijs quotidianis, sed iugibus insistens orationibus incessanter animum meum in ipsius voluntatem resignatum, & in eam solùm intentum habebò, dicamque in omni tristitia fidenter: *Calicem salutaris accipiam*: Et quia, licèt spiritus quidem promptus, caro tamen sit infirma, & nomen Domini invocabo. 115. psal.

Fructus: Continua elevatio, & erectio mentis in Deum.

Tessera: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum*. psalmo 17.

Meditatio pro feria V. Cinerum. 7

Punctum 2. Considera ferventissimos aliàs Apostolos, jam dormientes, & Christum eosdem redarguentem: *Non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Super quæ verba Maldonatus ait: *Incredibilem hæc dictio vim habet ad pungendos animos discipulorum, quasi dicat: me non solum vigilante, sed etiam orante, sudante, pugnante cum morte? Vos, qui me dormiente, pugnare debebatis, nè vigilare, quidem momento temporis potuistis? Ecce! quomodo Deus odio habeat somnolentiam, & somnolentos increpet: utpote, quæ multa mala parit, juxta illud Proverb. 24. Per agrum hominis pigri transivi, & ecce, totum repleverant urticae, & operuerant superficiem ejus spinæ.*

Propositum: Verè, mî Jesu, ego sum ille tepidus, qui non possum unâ horâ, imò uno quadrante horæ vigilare tecum, ut non deficiam in perseverantia, in propositis, ab attentione in orationibus, à fervore in actionibus. Scio, quia finè gratia Dei ex me sufficiens non sum, nè Nomen Jesu cogitare quidem, multò igitur minùs verè cum Jesu vigilare, ideo instanter, & humillimè ad quodvis opus fervidè peragendum Dei gratiam petam, nè somno oppressus dormiam, & in tepiditate requiescam, & peream.

Fructus: Ex agnitione humanæ infirmitatis assidua petitio Divini auxilij.

T'essera: Nè nos inducas in tentationem! Nè derelinquas me! nè discedas à me! Attende tibi.

Punctum 3. Considera, quàm dulce, &


8 *Meditatio pro feria V. Cinerum.*

jucundum sit vigilare cum Christo, utpote, quem Trogo Ostiensis lib. de S. Passione, ita alloquitur: *Qui vigilat in te, suaviter dormit; & somno suo requiescit; qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nesciens graviter agitatur.* Non ergo pigeat noctis vigilias, & matutinas horas alacriter aggredi, ut dum cum Christo, & pro Christo vigilasti, in Christo dormire, & æternaliter requiescere valeas.

Propositum: O Anima mea! quanti cum mundo, & pro mundo vigilant? vigilat & Judas cum cohorte, ut Christum capiat; sed heu! ut in æternum omni requie careat: tu vigila cum Jesu, ut æternum requiescas cum Jesu! Ecce! vocat te Dilectus tuus ad sacras Vigiliis, ad matutinum, ad chorum, ad obedientiam? surge, Magister adest! vocat te, surge! aperi Dilecto tuo! Hora est, te de somno surgere, & vigilanter tuum officium, orationem, obedientiam perficere.

Fructus: Sinè mora ad chorum, & ad opera obedientiæ festinare, & illa vigilanter perficere.

Tessera: Hora est, nos de somno surgere.
Magister adest, vocat te!





FERIA SEXTA

post Cineres.

Procidit in faciem suam.

P*unctum* 1. Considera Jesum procidentem in faciem suam, ut cum multa reverentia, & humilitate repræsentationem suæ Passionis, ac mortis in se recipiat: ac doceat nos, ut simili reverentiâ, & humilitate crucem, & passionem tanquàm aliquam Divinitatis similitudinem (quando imminet) inspiciamus, & suscipiamus: Unde S. Anselmus in hunc locum ait: *Procidit in faciem suam, ut humilitatem mentis ostenderet habitu corporis, & parem humilitatem eos doceret, quibus eadem passio immineret*: Si ergo homo per peccatum similitudinem Dei, ad quam creatus est, perdidit, crucem sibi immissam humiliter accipiet, ut iterum similitudinem Divinitatis recipiat.

Propositum: Obstupefce, Anima mea! super hoc: filiæ Sion, & vilissimi terræ vermiculi ambulant erecto collo, & Dominus Dominorum jacet vultu affixus terræ. An superbies amplius terra, & cinis? Non sic Domine, non sic, sed in omnibus meis actionibus hodie Jesum ante me in faciem suam procidentem imaginabor, & ex cordiali compassione vicissim me coram ipso abjiciam:

imò, quia causa sum agoniae hujus, me non tantum supra terram, sed infra omnium hominum pedes conculcandum demittam, imò etiam infra inferos submittam: specialiter verò faciem meam submittam, ut nunquam oculos ad caelum levem, sed semper inclinato capite procidentem Jesum aspiciam, ac tandem in omnibus actionibus meis propter tormenta, quae Jesus in agone suo praevидit, me mortificabo, stando, sedendo, ambulando, in oculis, in manibus, in ore, in pedibus, in auditu, ut ita per humilem sensuum mortificationem, ac crucis bajulationem Divinitatis similitudinem, quam peccando perdidit, recipiam.

Fructus: Abjectio sui, non tantum supra terram, sed infra inferos, cum in tantum ipse Deus se humiliaverit.

Tessera: Quid superbis terra, & cinis? *Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.*

Punctum 2. Considera Jesum procidentem in faciem suam; enim verò Salvator omnium, se omnibus mundi peccatis onustum videns, adeò confundebar, ut ne faciem suam in caelum levare praesumeret, dicente Salmerone: *Erubescere levare faciem suam ad Deum, cum peccata totius mundi sustineret, ut Publicanus apud Lucam: Et Esdras sanctus ille dicebat: Deus meus confundor, & erubescere faciem meam levare ad te! Quomodo ergo hominis oratio Deo esse*

Meditatio pro feria VI. Cinerum. II

esse grata poterit, qui erecto collo, & alijs impertinentibus gestibus orat? demittat oculos suos, dum orat, ut exaudiri mereatur in eo, quod orat.

Propositum: O Anima mea! vides, quanta sit abominatio peccati coram Deo? Benignissimus Jesus, qui non avertit faciem suam ab increpantibus, & conspuentibus in se, tamen avertit faciem suam à facie peccatorum tam horribilium, & quidem meorum; ideo nunc detestor, & execror omnia peccata, etiam minora præcisè ob hoc, quòd sint contra voluntatem, amorem, honorem, & gloriam Dei. Cavebo igitur etiam leviores transgressiones, statum meum dedecentes, & sic etiam cum Jesu per humilem, & sinceram contritionem abjiciam me in faciem meam, tot, & tantis peccatis confusus, dicens: *Non sum dignus levare oculos meos ad cælum.*

Fructus: Detestatio omnium peccatorum, ob solum Dei Amorem.

Tessera: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele!*

Punctum 3. Considera Jesum tam humili corporis situ orantem; compara te illi, & dum orare vis, dic cum S. Patriarcha Abraham: *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis, & cinis?* Genes. 18. Quinimò procide in terram cum Christo, quia, ut S. Basilii ait *admonit. ad filium spirituales:* Et tu Fili, cùm accesseris ad precan-

12 *Meditatio pro feria VI. Cinerum.*

precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu ejus, nè postules quidquam, quasi ex gratia meritorum tuorum: Et si est tibi conscientia boni operis aliqua, cela illam. Jam verò dic mihi, si velis hominem rogare, & sic incipias: Da mihi, ecce, illud quod peto à te: nonnè arrogans videtur oratio? Nonnè & tua oratio talis est? Inchoari debet ab humilitate oratio cognoscendo te indignum, qui Deo supplices; & multò ampliùs, ut gratias suas obtineas.

Propositum. Ecce! humiliatur usque ad terram, qui terram condidit! prosternitur ad terram Unigenitus Filius Dei, in quo Pater æternus sibi bene complacuit: quomodo ergo te stare convenit ante conspectum Domini Dei sancti hujus, coram quo contremiscunt, qui portant orbem? Habebo ante oculos meos imaginem Domini Jesu in agonia orantis, atque ad ejus imitationem toto corde prostratus ante Divinam Majestatem cum summa vilitatis meæ cognitione, & tabescens in mei nihilo, tanquam aquam effundam me in conspectu Dei!

Fructus: Oratio humilis, quæ fit considerando Majestatem Dei, & vilitatem sui.

Tessera: Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis?

Sab.



Sabbatho post Cineres.

Factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram!

Punctum 1. Considera Jesu fervorem in oratione, ut sudaret sanguinem: super quem sudorem Simon de Cassiâ, lib. 13. ita discurret: *Mens mea semetipsam cogit inquirere, sed non potest; tamen scire peroptat, an orabat prolixius, quia sanguis exibat, an sanguis defluebat à corpore, quia prolixius, & vehementer orabat, eratne sanguis defluens orationis accensio, an oratio sanguinem sic causabat?* Anima Christi ante conspectum constituta Divinum sanguinem manabat ex corpore, an sanguis manans animam remittebat ad Deum? Non dico, quod volo, quia tantum non capio, tamen dico, quod sentio, quod anima Christi profundissime Deum orans corpore, ut suo instrumento utebatur ad signa, & ad figuras, & ad ostentationes eorum, quæ in anima sua Divinitus, & humanitùs agebantur in Redemptione humani generis. In virtute amoris, & passionibus corporis perseverantiam docens, ut usque ad sanguinis effusionem à voluntate Divina nullatenus excedamus, & non solum parati simus sanguinem fundere propter devitanda peccata, sed etiam propter virtutes augendas fundere sanguinem, & suscipere mortem. Examina conscientiam tuam, quantum laboris, & sudoris impendas in servitio Dei, in exercitio virtutis, in extirpatione passionum, & vitio-

vitiorum, & invenies te glacie frigidiorē: Sudor ergo Sanguinis Christi te impellat ad strenuè laborandum, & viam mandatorum Dei, & sanctæ Regulæ alacriter percurrendam.

Proposium: O quàm tepidus sum in tuo sancto servitio! quàm distractus in meis orationibus! quàm vagus in sensibus? O bone Jesu! sed ex nunc propono, tantum habere fervorem, & amorem in oratione mea, tum privata, tum publica, ut si possem, vel oporteret pro amore Dei totum sanguinem meum effundere, non vererer: & sic tecum sanguinem sudare propono. Verùm, quia propter minores negligentias, & distractiones sæpiùs tantum fervorem relaxo, uniam orationem meam tuæ orationi, ut sæpiùs ferventissimo, ac sanguineo sudore omnes meæ tepiditates, & negligentiae extergantur.

Fructus: Summus fervor in oratione, quæ fiat cum unione orationis Christi!

Tessera: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter!

Punctum 2. Considera, quanto animæ suæ dolore, toto corpore sanguine decurrente in terram, Jesus eam madefecerit: quorsum nos invitat S. Laurentius Justinianus, de Triumph. Christi agone cap. 5. dicens: *Accedite nunc hic in Spiritu omnes vos, qui pietatis viscera gestatis: Accedite, inquam, & quale vobis coram positum sit compas-*

compassionis incentivum, considerate attentissimè: Redemptorem vestrum orantem, sanguinem sudantem, mentis oculo contemplamini, non tamen sinè profluvio lachrymarum. Quomodò, oro, lachrymas continere valebitis, aspicientes guttas sanguinis pijsissimi Domini decurrentes in terram? Væ tibi, qui voci hujus sanguinis non respondes, neque per actus gratitudinis ei occurris: quia Sanguis primi hominis justī (inquit Simon de Cassia) ad Deum contra fratricidam clamabat de terra, & sanguis Christi perfusus ad terram contra omnes ad terram clamat de terra. lib. 13.

Propositum: Aspicite oculi mei angustias amabilissimi cordis Jesu sic obruti & compressi in tolerandis angoribus, ut copiosum sanguinem toto corpore effunderet. O cur sic concidit facias tua, Fili Regis? quomodò potuit tanta angustia opprimere Cor suavissimum, Cor, quod lætificat Civitatem Dei? propter me, ah! propter me voluisti esse Vir dolorum, & sciens infirmitatem! Non compatieris dulcissimo Sponso tuo, & Sponso sanguinum? ô anima mea! imò verò per quantam potero maximam compassionem, & cordis saltem, sin minùs potero, oculorum, lachrymarum guttas singulis horis, ad minimum semel faciem Christi abluam; & sic etiam ultimum mortis meæ sudorem, & agonem in hujus sanctissimæ tristitiæ, agonis, & sudoris unione offero; ut vel tunc saltem hoc Passionis mysterium, in quantum possum, honorem, & colam.

Fructus: Per intimam compassionem, & memoriam hujus sanctissimi Mysterij sæpiùs faciem Christi plenam sanguine abstergere, & hujus sanctissimi sanguinis participem se reddere.

Tessera: Si compatimur, & conregnabimus. Videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Punctum 3. Considera Jesum, quasi pro te solo tanta sustinentem, & pro tua salute, non pro sua: & applica tibi dictum S. Augustini tract. 15. in Ioan. Effusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrænetici. Vel loquere cum Didaco stella in Lucam: Considera Anima mea! quàm periculosa erat infirmitas tua, siquidem tam ingentis sudoris copiâ nondum perfectè peccatorum tuorum fæces purgâsti, ut ipsemet Dominus de te conquerens dixit: multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus. Nonnè hanc rubiginem quotidie in te videre est ob quotidiana peccata, prava desideria, & malas inclinationes: tolle ergo limam mortificationis ad expoliendam animam tuam, & tollendam ab ea peccati rubiginem.

Propositum: Ah! quid pro te faciam? mi Jesu! qui tantùm pro me sudâsti? offero in unione sanguinei sudoris tui omnem meum laborem, & propono omnia opera mea fervidissimè, & summo tui amore perficere. Omnia in particulari in unione guttarum, quas pro me sudâsti, tibi offero, & omnes terrenos, & sensuum affectus deponens
purè

purè in amore tuo , in unione abundantiae sanguinis tui defluentis in terram me effundam, & quoniam ex omnibus membris tuis sanguinem sudasti, propono in unione omnium membrorum tuorum me in omnibus meis membris mortificare, Amen.

Fructus : Seipsum amore Jesu in ejus gloriam, & honorem in Unione sudoris fervidissimè decurrentis in terram in singulis actionibus abundanter impendere, malasque inclinationes mortificare.

Tessera : Mortificem me, & vivam in te!



Dominica primâ Quadra- gesimæ.

Fiat Voluntas tua.

Punctum 1. Considera Jesum propter humanam naturam sibi quasi diffidentem, dum dicit : *transeat à me calix iste !* Licet autem caro nostra aliquid recuset, ut horribile, & amarum, propositâ tamen Voluntate, ut illud suave, & dulce amplectitur, non enim suum ductum, sed Dei beneplacitum sequitur : Unde S. Chrysostomus *homil. 84.* ait : *Eò igitur, quòd dixit : transeat, si possibile est, humanitatem suam ostendit, eò verò, quòd non ut ego volo, sed ut tu, sublimem admirabilis Philosophiæ Virtutem tradidit, cùm exemplo nos doceat, etiam naturâ abhorrente, ac renitente, Deum esse sequendum: nihil*

B *ergo*